



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

De duplici specie tentationis. E

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

ret: & malum quod mulier timuit, negando remo-
uit, & repromissionem addidit: & ut eius persua-
sio citius reciperetur, promissionem duplicauit. *Quod hō-
mo: tribus
modis ten-
tatus est,
gula, vana
gloria, auar-
ritia.*
Vnam nempe comestionem suadens, duo in præ-
mio proposuit, similitudinem Dei, scientiam
que boni & mali spondens. Vbi tribus modis ho-
minem tentauit, scilicet, gula, in persuasione cibi,
cum dixit: In quacunque die comederitis: Inani
gloria in promissione deitatis, cū dixit: Eritis si-
cut dii. Auaritia, in promissione scientiæ, cum
dixit: Scientes bonum & malum. Gula est immo-
derata cibi auiditas: Vana gloria, amor proprię
excellentię: Auaritia immoderata habendi cu-
piditas: quę nō est tātum pecunię, sed etiā altitudi-
nis & sciēcię, cū suprā modū sublimitas ambitur.

De duplici tentationis specie.

E

Porro sciendum est duas esse species tentatio-
nis, interiorem scilicet, & exteriorē. Exterior
tentatio est, quando nobis extrinsecus malū visi-
biliter suggeritur verbo vel signo aliquo, ut ille
cui fit, ad consensum peccati declinet: & talis
tentatio tantum fit ab aduersario. Interior vero
tentatio est, quando inuisibiliter malum nobis in-
trinsecus suggeritur: & hæc tentatio aliquādo fit
ab hoste, aliquādo à carne. Nam & diabolus inui-
sibiliter mala suggerit, & ex carnis corruptione
suboritur motus illicitus & titillatio praua. Ideoq;
tentatio quę ex carne est, non fit sine peccato: quę
autem est ab hoste, nisi ei cōsentiatur, nō habet
peccatū, sed est materia exercēde virtutis. Ten-
tatio autē carnis interior difficilius vincitur: quā in-
teri⁹ oppugnās, de nostro cōtra nos roboratur. Ho-
mo ergo q̄ sola exteriorē tētatione pulsatus cecidit,
tāto grauius plectēd⁹ erat, quanto leuiori impul-
su fuerat prostratus. Et tamē quā aliquā, licet mo-
dicā cadēdi occasionē habuit, idcirco per gratiā iu-
uari potuit adveniā: ut q̄ per aliū ceciderat, p̄ aliū

*Quę sit exte-
rior ten-
tatio, & à
quo fiat.*

*Quę sit ten-
tatio interior, & à
quo fiat.*

B b

erige-

erigeretur. Qui ergo incitatore[m] habuit ad malum non iniuste reparatore[m] habuit ad bonum. Diabolus vero, quia sine alicuius tentatione peccauit, per alium ut surgeret iuuari non debuit, nec per se potuit: & ideo irremediabile peccatum eius extitit. Peccatum vero hominis sicut per alium habuit initium, ita per alium non incongrue habuit remedium.

Quare homo, non angelus, sit redemptus.

Præterea angelica natura quoniam non tota perierat, sed ex parte perstiterat, non est redempta: humana vero tota perierat: & ideo non penitus perderetur, ex parte est redempta, ut inde ruina suppleretur angelica. Vnde Aug. in Enchyr. Placuit vniuersitatis creatori & moderatori, ut quoniam non tota multitudo angelorum Deum deserendo perierat, ea quæ perierat in perpetua perditione permaneret: quæ autem cum Deo illa deserente perstiterat, de sua certissime cognita semper felicitate gauderet. At vero creatura rationalis, quæ in hominibus erat, quoniam peccatis atque supplicij tota perierat, ex parte poterat reparari, unde angelicæ societati suppleretur quæ ruina illa minuerat: hoc enim promissum est sanctis, quæ erunt æquales angelis Dei.

Quod non soli viro præceptum fuit datum.

Illud etiam notandum est, quod non soli viro præceptum videtur esse datum, cum ipsa mulier testatur sibi etiam esse mandatum, dicens. Præcepit nobis Deus, &c. Supra tamen legitur, ante factam mulierem Deum dixisse viro: De ligno scientiæ boni & mali non comedas: Non dixit, ne comedatis. Fortè quia facturus erat mulierem de viro, sic præcepit, ut per virum ad mulierem perueniret mandatum: quia mulier quæ subiecta viro fuit, non nisi mediante viro diuinum debuit accipere præceptum. Vnde

1 Cor. 14. 6. Apost. Si quid discere mulieres voluerint domi viros suos interrogent. Si queritur, quomodo loqui poterunt

Cap. 29. in principio.

Matt. 22. 6.

Aug. de Genesi ad litteram 8. libr. ca. 17. in pr.